

judicaremus? Quid si illorum conatus inspiratorii verum essent Verbum Dei nosque falleremur, & hactenus essemus decepti? Male quoque non raro ferebant Doctorum sincerorum & proborum virorum judicia, *frivola illa & prae-cipitata esse dicebant, mora esse opus, & aliquamdiu rem expendendam deliberandamque, quae statuenda sit semel;* Parum abfuit, quin diceretur, in *calcaneo eos habere cere-brum, qui sinistre de hac re iudicent, & tantum non omnia extraordinaria rejiciant,* die alles schlechterdings und blindlings verwerffen/ quasi blitei & fungi essent, qui praeter verbi divini prædicationem per ministerium publicum factam, aliam publicam & solennem, agnoscere nolebant, aut etiamnum nolunt.

### §. VI.

Ultinam igitur postquam animum induxerant, decretoriam quoque & suam sententiam in publicas auras emittere, qua illud institutum Fanaticorum destruerent, & pronon divino tandem declararent, pura & intemerata mente tantum negotium & nostra aetate adeo arduum, ut nullum aliud, suscepissent, neque incendio illi quod Enthusiastae molirentur, &, ut supra monitum, sub cinere quodammodo haeret, plus adhuc olei & materiae suppeditassent, ignemque sic tandem non extinguerent, quam, quod Pythagoras quondam serio prohibuit, *gladio eum foderent, & magis irritarent.* Sicut enim recte satis, etsi non absque immixtione quorundam, quae secus se habent, initio de verbi divini sufficiente & unica regula credendorum & a-gendorum praefantur, ita nonnulla asserta im nothigen Unterricht von unmittelbahren Offenbahrungen/ adeo patrocinantur Fanaticis, cumprimis subtilius rem suam agentibus, ut tandem videatur post tot tergiversationes idem doceri, quod ab Inspiratis creditur, discrimine toto in nudis cir-cumstan-